



## CONGREGATIO GENERALIS I

13 octobris 1962

Exc.mus P. D. PERICLES FELICI, *secretarius generalis*:

De mandato praesidis proceditur ad primam suffragationem pro eligendis sodalibus commissionum S. Concilii. Unicuique Patri distributa sunt folia, nempe schedae suffragationis: unaquaeque scheda pro unaquaque commissione. Velint Patres scribere distincte, clare et praecise sexdecim nomina pro unaquaque commissione; deinde, postquam illa scripta sunt nomina, folia seu schedas dare assignatoribus locorum.

### 1

EM.MUS P. D. ACHILLES CARD. LIÉNART  
*Episcopus Insulensis*

*Venerabiles Patres et Fratres,*

Quamvis multi effecti sint conatus ad melius cognoscendos episcopos aliarum nationum, fateri debemus saltem nos non potuisse ad eam cognitionem devenire, quae necessaria nobis esset ad designanda membra commissionum. [*Plausus in aula*].

Ideo proponimus hanc congregationem *generalem*<sup>1</sup> reservari ad studendas methodos, quae aptiores viderentur ad meliorem cognitionem episcoporum diversarum nationum in ordine ad electiones. Et breviter statim opinionem nostram dicimus.

Cum sint quadraginta et duo Conferentiae episcopales in mundo, quae in Annuario Pontificio recensentur, petimus ut praesidentes harum Conferentiarum membra Conferentiae adunent et petant ab eis nomina collegarum suorum, quos ut magis aptos ad opus commissionum commendent.

Haec designatio per modum *voti*<sup>2</sup> secreti posset fieri, ita ut, pro unaquaque commissione, duo aut tria nomina commendentur. Quodsi aliquae Conferentiae ad hoc non satis numerosae sint, simul adunentur.

Elenchi electionum noti fierent Patribus, qui sic iudicium suum efformare possint. Schedulae elenchorum opportune praerberent numerum membrorum Conferentiae.



Quodsi aliqua Conferentia iam elenchum emisit, *secretariae*<sup>3</sup> Concilii traderetur.

Rationes huius propositionis maximi momenti videntur: primo, beneficium temporis, nam electiones citius procederent; beneficium libertatis Patrum, qui cognita causa electiones facerent; beneficium mutuae fiduciae, cum unusquisque vota aliorum audisset; et tandem, quod gravius est, bona dispositio quoad commissiones et opus commissionum. Dixi. [*Plausus in aula*].

---

*In textu scripto tradito:* <sup>1</sup> deest. <sup>2</sup> suffragii. <sup>3</sup> secretariatus.

## 2

EM.MUS P. D. IOSEPH CARD. FRINGS  
*Archiepiscopus Coloniensis*

*Venerabiles Patres,*

Nos, id est Iulius card. Döpfner et Franciscus card. König et ego ipse, card. Frings, accedimus ad ea quae dixit card. Liénart et proponimus ut electio membrorum commissionum differatur ad proximam congregationem generalem [*plausus in aula*], feria III hebdomadae sequentis habendam, ne res tanti momenti plus minusve casui relinquatur et ut Patribus dentur aliquot dies ad accuratius considerandum et inter se conferendum quinam sint magis apti. Dixi. [*Plausus in aula*].

*Secretarius generalis:*

Audiant omnes! Consilium praesidentiae censuit esse accipiendam petitionem factam [*plausus in aula*]. Ideo iuxta petitiones rogantur ii, qui habent curam conficiendi elenchos episcoporum cuiusque iurisdictionis ecclesiasticae, ut elenchos conficiant et mittant ad secretariam intra proximam feriam II.

Proxima congregatio generalis ad suffragationem faciendam pro eligendis sodalibus commissionum S. Concilii erit feria III, hora 9, iuxta quod est constitutum a consilio praesidentiae. [*Plausus in aula*].

[*Post breve intervallum*]

Audiant iterum omnes! Inter sodales commissionum S. Concilii eligi possunt etiam em.mi Patres cardinales, qui tamen partem non habeant iam in aliis commissionibus, vel ut praesides, vel ut sodales consilii praesidentiae. Dixi.